

tis convictionem de acediâ & voluntariâ circa hoc illustre speculum ignaviâ, quî potuisset non agnosci, non sciri, hoc fine à DEO propositum, oculis exhibitum, *Invisibilia autem DEI, ita pervidentur ex structurâ universi, ut gentes ob neglectum illius objecti pervidendi dicantur inexcusabiles coram DEO, nulla E. hîc ignorantia invincibilis locum habere potest.* 2. Ignorantia invincibilis est, quæ manet post omnem diligentiam possibilem & debitam, & excusat à peccato, juxta Gabrielem, num E. ignorantia DEI in gentilibus est absque peccato, quî igitur ejus rei causa, in decretorio die accusari poterunt, num post omnem diligentiam possibilem potest nesciri id, quod oculis mentique jugi stricturarum communicatione influit, num talis homo ignorans non peccabit mortaliter, etiamsi alium occidat & putet se malefacere, quia peccatum mortale est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam DEI, ille autem eam legem ignorat, num non merebitur per illud factum pœnam æternam, ut non veritus est hoc omnibus stoicorum paradoxis *ἠγδοξότερον* nuper defendere Cancellarius Academiae Pragensis *part. 1. disp. 2. sect. 3. §. 22.* 3. Ratio, quam communiter proponunt, quam infirmo suffulta sit tibicine, cuivis mediocriter attendenti est obvium. *Ratiocinantur illi hoc modo, non est veritas per se nota, DEVM existere, debet ergò ex discursu & ratiocinatione colligi. Hic autem discursus indiget magna consideratione, utpote res valde à sensibus aliena; atque frequentissimè experimur, homines multos etiamsi rationis simpliciter capaces, ita tamen hebetis ingenij, ut etiam quando conatur alius res faciliores eis persuadere Exemplis facillimis eas res declarando, tamen vel non percipiant vel summe difficulter. Quo ergò fundamento possumus dicere, istos & similes etiam sine ullo Magistro ex seipsis incepturos, & continuaturos ratiocinationem & discursum adeo Metaphysicum, quo DEI existentia probetur? Ego, concludit Adversarius, sane vix dubito, quin multi possint inveniri, in quibus nec per umbram similis excitetur ratiocinatio, poterunt E. habere ignorantiam invincibilem DEI: At 1. falsissimum est DEVM existere non esse veritatem per se notam, uti luculenter prima Exercitatione ostendimus; Falsissimum 2. posita sola ratiocinatione niti illam veritatem, tam impeditam esse, ut quî hebetioris ingenii sunt naturali syllogizandi facultate illam non possint asse-*

asse-